THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

MIRACULIS GENTILIUM,

Quam

Adjutore DEO Ter Opt. Maximo,

Sub Præsidio

MAGNIFICI RECTORIS

VIRI Plurimum Reverendi, Amplißimi atq; Excellentißmi

DOMINI

BALTASARIS BEBELII,

SS. Theol. D. & PP. undiquaq; Celeberrimi, Patroni, Promotoris, atq; Præceptoris sui æternum venerandi atque colendi.

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

JOHANNES GÜNTZER, Argentoratensis.

Ad diem 16 Mens. Septembr. Anno M. DC. LXXXIII. horis locoq; consuetis.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

OTTONIANI STIPENDII DOMINIS PRÆFECTIS MUNIFICENTISSIMIS VIRIS

Magnificis, Nobiliſſimis, Prudentiſſimis, Maxime Reverendo, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Excellentiſſimis atque Graviſſimis.

DNN. MOECENATIBUS, PATRONIS atq; PROMOTORIBUS SUIS

Debitâ animi ſubmiſſione & obſervantiâ æternùm venerandis

Exercitium hoc Academicum in grati animi ſignum, Humillime dedicat & conſecrat

TANTORUM NOMINUM

Subjectiſſimus Cliens atq; Obſervantiſſimus Cultor

Joh. Güntzer, Argent. Reſpondens.

Q. D. B. V.

De Miraculis Gentilium.

PROOEMIVM.

MIraculorum in scripturis sæpe fit mentio : Memorantur enim אותות *signa*, מופתים *ostenta*, פלאים *mirabilia*. Deut. XIII. 2. Ezech. XII. 11. Joel. II. 30. Ps. CXXXIX. 6. σημεῖα, τέρατα, θαύματα δυνάμεις, *Signa, prodigia, miracula, virtutes.* Matth. XII. 38. XXI. 15. XXIV. 24. Marc. IX. 39. Joh. II. 11. Quæ vero non sunt uniusmodi. Nam alia sunt solum *mira*, alia etiam *miracula*; *Ista* sunt, quæ præter suetum, communem, & ordinarium rei morem contingunt, & animum hominis tanquam insolita ad sese convertunt, c. gr. cum quidam Phereas Jason vomica liberaretur, percussus gladio ; alius per ictum lapidis amitteret notitiam rerum apprehensarum, Georgius Epirota ex matre nasceretur mortua, quæ & similia præter hominum opinionem facta, recenset Valer. Max. lib I. cap. 8. hist. Confer August de C. D. lib. X. cap. 16. Thom. Aquin. l. 3. cont. gent.

cap.97. D. Dannh. meletem. de mirac. §. 1. pag. 9. seqq. *Hæc* iterum sunt vel vera vel falsa, quam distinctionem insinuat vel sola *falsorum* mentio, quam facit Paulus 2. Thessal. II. 9. dum prædicit Antichristi miracula fore, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, *in omni virtute, & signis, & prodigiis falsitatis*, innuens, duo esse signorum genera, alterum veritatis, alterum falsitatis; eo quod *privatio*, ut sunt falsa, præsupponat *habitum*, ut est veritas. Qua de re disputat Origenes lib. II. adverf. Celsum. pag. 91. *è præstigiatorum miraculis*, inquiens, *colligimus* καὶ ἀπὸ θείας ἐνεργείας ἐν τῷ βίῳ γιόμενα, *necessario esse alia quæ divina virtute patrentur in vita hominum*: *& consequens est, aut utrumque negari neutrum concedendo, aut, si alterum concedatur, præsertim deterius*, (ut sunt miracula falsa) *fateri etiam id quod est præstantius. Quod si quis fatetur, prodigiosa miracula fieri, negans ulla patrari divinitus, perinde facere videtur, ac si fassus sophismata quædam esse, rationesque probabiles, quædam verisimilitudine, cum tamen nihil veritatis habeant, negaret extare apud homines alias veras atque dialecticas longèque diversas à sophismatibus.* Sicut igitur ex humanis præstigiis, quæ falsæ sunt, colligimus *vera* miracula divina; ita ex *falsis* miraculis in genere, colligimus *vera* etiam viciſſim dari. Vera aliquo modo *describit* Hilarius, quando ait: *Res cernitur & nescitur, fit & non intelligitur, ratio non apprehenditur, ingeritur effectus.* adv. Const. f. 206. Id certum est, quod DEUS talium sit præcipua & prima causa. Psalm. LXXII. 18. LXXXVI. 10. Marc. XVI. 20. Johan. V. 17. XIV. 11. 1. Corinth. XII. 6. 10.

Et

Et fiunt *præter*, vel *supra* naturam, ejusque vires vel captum & opinionem. Dan. II. 10. 27. Joh. IX. 32. X. 21. Ephes. III. 20. sive in cœlo, sive in terra. Jes. VII. 11. Dan. VI. 27. Joel. II. 30. Act. II. 19. non quidem semper à solo DEO, immediate, sed etiam per *creaturas*, ut sunt homines, divinitus tamen elevatas, non solum pios, sed etiam interdum impios. Matth. IX. 8. X. 1. Actor. II. 22. IV. 30. XIV. 3. Rom. XV. 19. Confer Num. XX. 11. Exod. VII. 8. 1. Sam. XVIII. 11. De impiis notanda sunt verba Del-Rionis, quando, *solet quidem*, inquit, *DEUS hanc gratiam gratuito etiam perperam de fide sentientibus largiri, sed in veræ fidei probationem, ut quando dedit prophetiam Bileamo & Caiphæ.* lib. II. disquis. magic. q. 7. Nempe donum miraculorum est administrans, quod etiam in impios cadit, & qui aliquando damnandi sunt. Matth. VII. 22. 23. DEUS tamen ultimo ad suam ipsius gloriam respicit, & Ecclesiæ suæ salutem. Joh. IX. 3. Talia fuerunt quæ Moses fecit in Ægypto. Exod. III. 20. IV. 21. VII. 3. &c. Et Christus dum in his terris versaretur, & ipsius Apostoli. Act. I. 1. Matth. X. 1. 8. Luc. IX. 10. *Falsa* autem sunt, quæ DEUS quidem permittit, non tamen proprie author eorum est, sed Diabolus, & ipsius ministri, ut sunt Pseudoprophetæ. Deut. XIII. 1. Matth. XXIV. 24. Qualia fuerunt olim Gentilium, & futura tum erant Antichristi. 2. Thess. II. 9. quæ vel in recessu nil habebant, vel falsitatem intendebant.

De his *Gentilium miraculis* constituimus nobiscum aliquid pro Cathedra Academica differere, dum nobis disputandi ansam suppeditavit præstan-

tissimus Dn. Respondens noster, specimen profectuum suorum Theologicorum editurus, quod ut feliciter fiat, devotè precamur!

THESIS I.

HAbuerunt Gentiles suos, חרטמים, אשפים, מכשפים כשרים quos vulgata vertit *ariolos, magos, maleficos & Chaldæos.* Dan. II. 2. Et גזרין, *aruspices*, seu sectores extorum, cap. IV. 4. quos crediderunt sublimius quid, quam vulgus hominum, sapere vel facere; quare & sua sibi *miracula* imaginabantur, quæ hinc inde descripta extant, & leguntur apud suos ipsorũ, & Christianos Doctores, vel auctores. Quos ipsos in medium proferamus, ne videamur aliquid dicere quod à mente ipsorum alienum sit. *Pausanias* in accurata Græciæ descriptione edit. Francof. anno 1583. in fol. Græc. & Latinè publicata, recenset plura exempla miraculorum, quæ inter Ethnicos contigisse credebantur. E. gr. quod Amphiaraus, post mortem & in Divos relatus, contra morbos valuerit, quod Memnonis statua sub ortum solis ediderit sonum, quod Jovis simulachrum sylva combusta manserit illæsum, quod Aristomenes post mortem interfuerit pugnæ ad Leuctra, quod ex puero factus sit draco, quod tres lebetes inanes, probe obsignati, in festo Bacchi vino fuerint repleti, quod impius quidam oculorum usu fuerit privatus à Neptuno, quod Jovis Lycii sacerdos siccitate fuerit solutus, immisso in fontem ramo, è quercu sumpto; quod homo, ingressus fanum Lycæi Jovis, non potuerit ultra annum vivere, quod Mars effecerit, ut infans ex mortuæ matris uberibus lac sugeret. Quod Hercules singulis noctibus Cereris Myscalenæ templum clauserit, & recluserit, quod Proserpina apparuerit Pindaro, conquerens solam sese hymno nullo celebratam fuisse; quod templum Cabrerorum ingressi milites Xerxis furore fuerint correpti, & ipsi sese in mare præcipites dederint, quod Macedones id ipsum tentantes de cœlo tacti sint, quod lupus sacrilegium prodiderit. vid. fol. 33. 40. 109. 142. 198. 204. 244. 268. 269. 274. 301. 330.

§. 2.

§. 2. Ne vero quis putet hæc apud solos nugi-vendulos *Græcos* ita circumferri, addamus aliquem etiam ex Latinis, nempe *Valerium Maximum*, qui & ipse Ethnicus fuit, & prodiit ejus liber emendatus à Stephano Pighio, cum Spicilegio Lipsii & Mitallerii, ex editione Christophori Coleri, Francof. anno M. DC. XXVII. Consignavit ille integrum caput, nempe VIII. lib. I. de *Miraculis*, iis nimirum, quæ inter ipsos *Romanos* contigisse ferebantur. In his refert *apparitiones*, ut fuit *Cæsaris*, cujus speciem in pugna Philippensi *vidit* Cassius: *vidit* enim *humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem*: ut ille refert. c. 8. qui c. 2. narraverat, quod *Castor & Pollux* cuidam P. Vatinio apparuerint, & Persen à Paulo Consule captum esse retulerint. Sicut & *Martem* Patrem populo suo in pugna Lucano-Brutia adfuisse, quare eidem, edicenti Fabritio, *supplicationem* esse habitam. num. 6. Apud eundem occurrunt etiam *locutiones*, ut fuisse fertur *Junonis Monetæ*, quæ *velle se Romam* per imaginem suam interroganti respondit. cap. 3. Subjungit exemplum *Fortunæ muliebris*, cujus simulachrum bis-respondisse refert, & dixisse: *rite me matronæ vidistis, ritèque dedicastis*. cap. 4. Habet & de quodam *Sylvano*, qui in hunc pene modum respondisse ferebatur: *Uno plus Hetrusci cadent, Romanus exercitus victor abibit*. cap. 5. Quo cum convenit cujusdam nescio cujus vox. Nam divinitus missæ vocis miraculum credidit ejus, qui dixerat: *Qui scimus, an hac flamma Cn. Pompejus cremetur?* cap. 9. Quorsum refero *vaticinia*, quæ de rebus futuris, vel occultis aliis loquebantur. Idem enim ore *Apollinis* editum refert, quod *Appius Claudius* esset periturus. Nam virgo Pythia retulerit: *Nihil ad Te hoc, Romane, bellum, Eubœa cœlum obtinebis*: id quod etiam contigit. Nam morbo Eubœæ in Attico solo ille extinctus est. cap. 10. Davidæ equum exitiosum prædixit oraculum, num. 8. Exter. Quadrigam, sed acuti gladii insigne, prædixit itidem oraculum. n. 9. *Brevi te videbo*, ait Calanus Brachmanes ad Alexandrum M. Id quod & experientia morte comprobavit. num. 10. *Revivi scentes* post mortem idem refert. Nam refert quendam Atticum, qui pridem mortuus habebatur, cum à rogo, seu igne, ureretur, proclamasse, *se vivere, & auxilium pada-*

gogi invocasse. num. 12. Quale quid etiam quendam *Lamiam* fecisse narrat, cum super rogo poneretur mortuus. *Statuis* etiam miracula tribuit, & *reliquijs*; refert enim de statua Servii Tullii, quod *inviolata manserit, cum ædes fortunæ conflagrasset.* Et de *lituo* Romuli, quod *integer repertus* fuerit solus, cum *deusto sacrario Saliorum* nihil aliud in eo reperiretur. Habet & de *Claudiæ*, virginis quondam Vestalis, *statua*, quæ collocata erat in vestibulis templi Matris Deorum, quod bis *ab igne* fuerit servata. num. 11. *Deos penates* ait idem, Alba relicta, Lavinium concessisse. num. 7. Quæ certe, & similia in admirationem sui rapiebant Lectores vel Auditores.

§. 3. Advocemus quoque *Patres Ecclesiæ*, qui inter Gentiles tum degebant, & talia miracula oculis, vel auribus usurpabant, & in suos libros transferebant: & in his ex *Græcis* Patribus eruditissimum, & antiquissimum *Clementem Alexandrinum*, qui libro VI. Strom. fol. 629. & seqq. plura ejusmodi refert Gentilium miracula: *Cum diuturna siccitas*, ajens, *Græciam aliquando affligeret, & fructuum esset maxima sterilitas, qui remanserant, inquiebant* Gentiles, *propter famem Delphos supplices venientes rogarunt Pythiam: quomodo liberarentur à tam gravi calamitate? Ea respondit: calamitatis unum esse remedium, si uterentur precibus Æaci. Eis ergo morem gerens Æacus, cum in Græcum montem ascendisset, mundis in cœlum extensis manibus communem DEUM invocans precatus est, ut afflicta misereretur Græciæ! simulac autem cœpit precari,* βροντὴ ἐξαίσιος ἐκτύπη, καὶ πᾶς ὁ πέριξ ἀὴρ ἐνεφέτο, λάβροι τε καὶ συνεχεῖς ὄμβροι καταῤῥαγέντες ὅλην ἐπλήρωσαν τὴν χώραν. *Felix statim tonitru iusonuit, & totus aër circumcirca fuit obductus nubibus. Vehementes autem & continui imbres erumpentes totam implevere regionem. Hinc efficiebatur abundans & copiosa fructuum feracitas, qui Æaci tanquam agriculturæ fuere impetrati precibus.* Id quod insigne scilicet fuit miraculum.

§. 4. Addidit aliud: *Cum Etesiæ venti aliquando deficerent*, dicens, *Aristeus in Ceo sacrificavit Jovi Isthmio: Maxima erat calamitas, qui cum ardore omnia conflagrarent, & venti non spirarent, qui solebant fructus refrigerare,* ῥᾳδίως αὐτὸς ἂν ἐκαλέσατο, *eos facile revocavit.* Habet & tertium: *Cum Xer-*

xes

xes invasisset Græciam, Pythia dixit: Placate, ô Delphi, ventos, jam fata favebunt; tum altari posito, & facto ventis sacrificio ἀρωγὸς αὐτὼς ἔσχον, *eos habuere adjutores. Nam cum circa Sepiadem promontorium spirassent vehementer, Persica classis universum apparatum contrivere.* Huic geminum est quartum: *Empedocles Agrigentinus* (κωλυτανέμας,) *venti prohibitor cognominatus est. Dicitur* ille, *cum ex monte Agrigenti gravis quidam aliquando spiraret ventus, qui non solum morbos importabat incolis, sed etiam eorum uxoribus sterilitatis erat causa,* παῦσαι τὸν ἄνεμον, *ventum stitisse: Quocirca ipse quoque scribit in versibus:*

Indefessorum ventorum flamina tolles,
Qui spirando hominum perdentes arva fatigant;

Et rursus:

Cumque voles eadem tu rursus flamina pones.

Porro refert, dicens: *Ajunt* (Ethnici,) *Magos qui sunt Cleonis, observantes sublimia nubium, qua erant grandines ejaculaturæ.* παράγειν τε ὠδαῖς καὶ θύμασι τῆς ὀργῆς τὴν ἀπειλὴν. *Canticis & sacrificijs iram depellere. Quod si forte eis defuerit animal,* τὸν σφέτερον αἱμάξαντες δάκτυλον, *suo cruentato digito sacrificent.* Parallelum est quod addit de Epimenide Cretensi: *Epimenidis Cretensis,* inquiens, *sacrificia ipsis Athenienſibus in tantum tempus bellum distulerunt.* Satis ex Clemente.

§. 5. Conjungamus *Eusebium Cæsareensem*, cujus libri de præparatione Evangelica Græcè & Latinè prodierunt Parisiis anno M. DC. XXVII, in quibus refert, quod apud Ethnicos *oracula quædam atque responsa morborum omnis generis curationes, illataque cœlitus in impios gravissima calamitates celebrentur.* lib. IV. fol. m. 130. B. C. Imprimis huc pertinet ipsius liber adversus Ethnicum *Hieroclem*, in quo totus est in recensendis & confutandis miraculis Apollonii Thyanæi, quæ Philostratus peculiari volumine complexus est, nec non aliorum, quorum miracula Gentiles jactabant, ut fuit quidam Jarcha, qui dæmone malo correptum missa ad eum epistola liberarit, claudo alicui etiam solo attactu luxatam vertebram confirmarit, cœco visum restituerit, alii manum valentem pro torpida reddiderit. Si quis plura desideret poterit, vel ipsum in utroque libro legere, vel

Tert.

Tert. d. anima. vel Origenis contra Celsum conferre libros; aut Augustinum legere lib. X. de C. D. I. c. 16. Aut Æneam Gazæum in Theophr. qui ait, dicere Gentiles, quod Hercules, fracta navi, in qua vehebatur, à Cete deglutitus & conservatus sit, quod Thesei reliquiæ sedarint tempestatem, Orestis urna Lacedæmonii vicerint; Photius refert, quod Orphei caput post mortem cecinerit, & colorem longo post tempore præ se tulerit; Æsopus occisus Delphis revixerit. Mela l. 7. c. 6. ait, Herculis ossa templum Gadibus sanctum effecerint. l. 2. Idem retulerat, quod Hercules ab invocato Jove adjutus sit imbre lapidum. Servius cineres Orestis inter ea recenset, quæ Rom. Imperium tenent. l. 7. Æneid. pag. 457. Idem refert, quod Hercules in somniis docuerit Marcum Octavium Hersennium prædonibus ereptum sua opera ædem dedicare.

§. 6. Sin quis desideret aliquem ex recentioribus, & Pontificium quidem, evolvat Baronium, ad an. 139. §. 2. ubi refert ex Spartiano: *Post testamentum quidem alterum* (Hadrianus Impetator) *se est conatus occidere. Subtracto pugione sævior factus est: Petijt & venenum à Medico, qui se ipse, ne daret, occidit. Ea tempestate supervenit quædam mulier, quæ diceret, somnio se monitam, ut insinuaret Hadriano, ne se occideret, quod esset bene valiturus, quod cum non feciisset, esse cœcatam. Jussam tamen iterum Hadriano eadem dicere, atque genua ejus osculari, recepturam visum, si id feciisset. Quod cum insomnium impleisset, oculos recepit, cum aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam cœcus ad febrientem Hadrianum, eumque contigit, quo facto & ipse oculos recepit, & Hadrianum febris reliquit.* Hæc Spartianus scripsit, & Baronius repetiit, & §. 4. addidit: Cæterum quod ad „ illa miracula spectat, quæ ex Marii Maximi, nobilissimi histo„ rici, sententia fuisse conficta, Spartianus affirmat. Eademque „ omnia concinnata arte Antonini, qui, quod tantopere proro„ gare studuerit vitam parentis, Pii meruerit cognomen, oppor„ tuna se offert occasio, ut de aliis quibusdam miraculis com„ mentitiis agamus, quæ ejusdem Antonini temporibus esse edi„ ta, publica monumenta testantur, quæ ipsius Antonini com„ mento, ut quemadmodum ea inventione erga parentem Pius,

ita

„ita erga Deos pientissimus videretur, seu impostura sacerdo-
„tum, vel iisdem omnibus conniventibus, ut collabentem
„Deorum cultum falsorum miraculorum editione fulcirent,
„contigisse certum est. Quod enim Christianam religionem
„Diis adversariam virtute miraculorum mirificè stabilitam con-
„spicerent, iisdemque majorem accessionem ad eam indies fie-
„ri intelligerent; ut eadem quoque ratione suos in religionis of-
„ficio continerent, quædam ab Æsculapio facta esse miracula
„confinxerunt, eademque publica memoria consignarunt. His præmissis subjungit ex antiqua quadam *tabula marmorea*, Romæ in ædibus Maffeorum majusculis literis exarata, quædam verba, nempe hæc: (ut omissis Græcis Latina, brevitatis studiosi, allegemus:) *Hisce diebus Cajo cuidam cœco oraculum edidit* (ἐχρημάτισε revelavit,) *veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare, & elevaret manum, & poneret super proprios oculos, &* ὀρθὸν ἀνέβλεψε recte vidit, *populo præsente & congratulante,* ὅτι ζῶσαι ἀρεταὶ ἐγένοντο, *quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.* Addit idem ex eadem inscriptione: *Lucio affecto lateris dolore, & desperato ab omnibus hominibus, oraculum reddidit Deus, veniret, & ex tribomo tolleret cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra latus,* καὶ ἐσάθη, καὶ δημοσίᾳ ηὐχαρίστησε τῷ θεῷ, καὶ ὁ δῆμος συνεχάρη αὐτῷ, *& convaluit & publice gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi* Tertium fuit hoc: *Sanguinem revomenti Juliano, desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus: veniret, & ex tribomo caperet nucleos pini, & comederet una cum melle per tres dies,* καὶ ἐσάθη, *& convaluit, & veniens publice gratias egit præsente populo.* Tandem & quartum addit: *Valerio Apio militi, cœco, oraculum reddidit Deus: Veniret, & acciperet sanguinem ex albo Gallo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos, & vidit, & venit, & gratias egit publicè Deo.* Hæc retulit ipse Baronius.

§. 7. Subjungit idem suum judicium de talibus, putans, talia *miracula ejusdem generis esse cum illis, quæ olim à Vespasiano, ac nuper ab Hadriano, facta esse dicuntur.* Addit: *con-*

 suevis-

fuevisse gentiles in Numinum suorum gratiam miracula atque oracula fingere, exemplum quoque de Theotecno Antiocheno, qui eadem Maximini Imperatoris temporibus præstitit. (quod Eusebius lib. IX. cap. 2. ad marginem citatus narrat,) *fidem facit.* De qua vero, & similibus, ἐπιχείρει deinde ex professo agemus. Nunc sufficiat notasse, quod Gentiles (1.) *miracula* inter sese, & plurima quidem, habuerint, sive illa fuerint vera, sive non, quæstio nunc non est; sufficit enim nobis, illa fuisse talia vel habita, vel visa, ita ut communem naturæ cursum & vim excederent, vel excedere viderentur. Sic fuerunt comparata liberationes à Dæmone, morbis, siccitate, igne, sterilitate, apparitiones, & loquelæ mortuorum, prædictiones futurorum, vel occultorum revelationes, transmutationes, vel aliæ mutationes rerum insolitæ, &c. (2.) Quod *mediis* hæc adscripsisserint supernaturalibus, iisque vel personalibus, ut e. gr. Nepruno, Marti, Herculi, Castori, Polluci, Æsculapio, Empedocli, Æaco, &c. vel realibus, e. gr. statuis, reliquiis, precibus, gestibus, sacrificiis, canticis, aquæ, medicamentis, cibis &c. (3.) quod inter eos fuerint *nota*, & notificata, supplicationibus, tabulis, inscriptionibus, dedicationibus, donariis, scriptis, colloquiis, de quo nunc dicendum fuerit.

§. 8. Gentiles enim hisce suis miraculis etiam *gloriati* fuerunt, ut suam religionem munirent & extollerent, Christianam contra destruerent, & deprimerent. *Nos autem*, conqueritur Eusebius, *admodum impie* καὶ ὅτως ἐμφανεῖς καὶ ἐνεργετικὰς δυνάμεις ἐν ὐδενὶ λόγῳ τιθεμένες, *qui tam perspectas beneficasque virtutes nihil faciamus, adeoq; leges palam à nobis aperteq; violari, scil. tradunt, cum patrios quemque ritus religiose colere oporteat, neq; intacta demum instituta convellere, sed pressis quasi vestigiis Majorum pietatem ita consectari, nihil ut præterea rerum novarum studio curiosius moliatur. Quare pœnam etiam capitis in hujus maleficij reos justè legibus Constitutum esse pronuntiant.* Lib. IV. de præp. Evang. Vide, quod gentiles illa miracula sua appellarint ἐνεργετικὰς δυνάμεις virtutes bene nobis facientes & ἐμφανεῖς *apertas*, & illis superstruxerint *cultum* idololatricum. Eundemq; *legibus* etiam muniverint, adversus Christianos, quos propterea impios vocarint, quod noluerint talibus miraculis taliq; religioni se applicare, imo puniverint tanquam homi-

homines rebelles, & calamitatum publicarum auctores. *Enimvero pridem apud ipsos miracula quædam atque responsa, morborum omnis generis curationes,* καὶ ἀκέσεις παντοίων παθῶν ἐπισκήψεις τε καὶ ἀσεβῶν, *Illataque cœlitus in impios gravissima calamitates celebrantur*; queritur Eusebius; nempe quas ipsi pertulerunt divinitus, vel alii propter ipsos. Qui & adversarii verba alibi refert: *In quem finem hæc commemoravi? ut nostrum illud accuratum solidumque de omnibus judicium & χρισιανῶν κωφότητα Christianorum levitatem inter se contendere liceret: cum nos illum, qui tanta patravit, non pro DEO, sed homine Dijs charo habeamus; illi contra ob paucula quædam prodigia JEsum DEum* prædicent, adv. Hierocl. f. m. 512. I. D. Intenderunt igitur Gentiles, Deitatem Christi in dubium vocare, imo destruere, quantum in se, laudatis suis & exaggeratis miraculis. Qui scopus Dæmonis fuit maxime tum, cum Apollonius Thyanæus prodiret, & stupenda miracula jactaret, nempe, ut miracula Christi, ab Apostolis hinc inde prædicata, eluderet, & contrariis factis etiam tibicinem aliquem labanti Ethnicismo supponeret, ut paulo ante ipsi etiam Baronio visum est.

§. 9. Patres vero Ecclesiæ ea propter non desierunt esse Christiani, aut obmutuerunt, sed strenue adversus talia miracula disputarunt, & pugnarunt. Origenes in compendio regerit: *Certis indicijs examinemus promissores talium miraculorum, videlicet desumptis ex ipsorum vita moribusque, tum ex miraculorum ipsorum affectibus, dispiciendo, afferatne damnum hominibus, an correctionem moribus, ut sciamus, quænam vel ab incantatore fiant, ministerio dæmonum, vel ab anima pura sanctaque & afflata divino spiritu, cujus etiam corpus ex ejusdem spiritus commercio ad utilitatem institutionemque hominum sit efficax, & ad confirmandam veram fidem in DEUM.* (καὶ προτροπὴν τὴν ἐπὶ τὸ πιστεύειν θεῷ ἀληθινῷ παράτλει) *quod si non sint probanda miracula prius quam discernantur à quo rectè patrentur, aut secus, ne vel omnia damnemus, vel omnia miremur, tanquam divina. Annon perspicuum est è Mose JEsuque miraculis, quibus gentes integræ ad religionem pertractæ sunt, non sine divina virtute facta esse ab illis, quæ scripturis sunt prodita.* Verba sunt Origenis lib. II. advers. Cels. f. m. 91. Ex quibus patet, quod Origenes se istis Gentilium

ilium miraculis, utut ſplendidis, & decantatis, adeo non moveri paſſus ſit ad gentiliſmum, & dimoveri à ſuo Chriſtianiſmo, ut poti⁹ argumenta ſuppeditarit, ex quibus & alii potuerint diſcernere, quid diſtarent æra lupinis. Conferri poteſt & Auguſtinus, qui l. XVIII. de C.D. c. 18. oſtendit, *quid Chriſtiani agere debeant, quando inter Idola gentium miracula fieri aſſeruntur*; nempe nihil *dicemus* aliud, niſi *de medio Babylonis eſſe fugiendum*, quippe cujus caput dæmon ſit: Ipſecerte hinc inde contra deceptiones iſtas diſputat in ſuis libris, maxime de *Civitate DEI*; ſicut Origenes in libris *contra Celſum*, Euſebius contra *Hieroclem*, alii in ſuis *proptrepticis* adverſus Gentiles inſtitutis.

§. 10. Cum vero Patres & Doctores Eccleſiæ non ſolum in genere, ſed etiam in ſpecie adverſus miracula diſputarint, & ipſe Origenes in verbis modo laudatis idē innuat, igitur operæ pretium erit, ſingula quædam argumenta ſigillatim tractare, & illuſtrare. *Reſpondet.* I. reſpiciendum eſſe ad patratorum talium *vitam moresque*, ſumens argumentum ἀπὸ τῆς βίου καὶ τῶν ἠθῶν, *à vita & moribus*; quandoquidem *non ſtatim vir bonus ſit, qui* (miraculoſe) *futura prænovit, proinde requiri aliam probationem.* Nimirum, quod quis miracula facit, exinde non ſtatim ſequi, eum eſſe DEI miniſtrum, in quo habitet *Spiritus Sanctus*, vel *religio* vera inveniatur, & *opera* omnia probanda ſint; quandoquidem fuerint θαυματοῦργοι, qui ſuis quidem factis neſcio quid præ ſe ferebant, ut Simon Magus, qui vocabatur δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη, *Virtus DEI magna.* Actor. VIII. 10. à miraculoſis factis, quibus hactenus populo impoſuerat, ſed deinde apparuit, quod divina miracula iſta non eſſent, cum *avarum & ambitioſum* ſeſe oſtenderet, petita à Petro facultate miraculorum patrandorum, oblata pecunia. verſ. 19. ſeq.

§. 11. Reſpiciendum quoque eſt (2.) ad *talium miraculorum finem & effectum*, nempe, an reſpiciant veram in DEum fidem, & religionem, bonos mores, vitiorum abolitionem, DEI gloriam, & hominum ſalutem? Eadem hac de re prolixè diſputat Origenes lib. III. adverſ. Celſ. p. m. 127. adverſus miracula Ariſtei, quæ Gentiles Chriſtianis opponebant: *Itaque*, inquiens, *arbiter factus inter ea quæ de Ariſteo & JEſu ſcripta ſunt, ſuſpende tantiſper ſententiam, dum diſpicias ex eventu, ἐν*

τῷ

τὸ ὑποβάντος, καὶ τῶν ὠφελημένων εἰς ἠθῶν ἐπανόρθωσιν καὶ εὐλάβειαν πρὸς τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν : *Quod ad morum correctionem & pietatem erga DEUM rerum omnium conditorem attinet, num non sine numine gesta sint, quæ de JESU narrantur potius, quam quæ de Aristeo Proconnesio ? Quorsum enim divina providentia voluisset edi per Aristeum fabulosa illa miracula ? Nec potes dicere, τί ὠφελῆσαι, quid utilitatis humano generi provenisset ex istis, quæ tibi videntur tam mirifica?* Cum contra salutaris fuerit doctrina JEsu Christi, firmata in doctrina Apostolorum, proficua hominibus per miracula, & alia manifesta argumenta. Vera miracula veram intendunt fidem, eamque confirmant, ut confirmavit JESUS fidem de se miraculo resuscitati à sese Lazari. Joh. XI 45. XII. 11. & Philippus eandem in JEsum Christum fidem. Actor. VIII. 6. Paulus sanavit Æneam, ut & ipse in JESUM crederet. cap. IX. 35. cum viceversa falsa miracula errores probent & intendant, Deut. XIII. 1. seqq. Matth. XXIV. 24. Marc. XIII. 22. Augustinus hoc lydio lapide docuit miracula Ethnica à Christianis improbari: Si quod nimirum miraculum Idololatriam præcipiat, ut præter DEUM alii quoque colantur, modo divino, id rejicit. Dixerat, quomodo petita Angelorum bonorum & malorum discernere debeamus, nempe, considerando, suum ne ipsi honorem quærant, an DEI? hinc intulit, *cum ergo ad hunc (DEUM) unum Angeli, quidam vero ad se ipsos latria colendos signis mirabilibus excitent, & hoc ita, ut illi istos coli prohibeant, isti autem illum prohibere non audeant, quibus potius sit credendum, respondeant Platonici, respondeant quicunque Philosophi, respondeant Theurgi, vel potius perjurgi. Hoc enim sunt illæ omnes artes vocabulo digna; Postremo respondeant homines, si ullus naturæ suæ sensus, quoquo rationales creati sunt, ex aliqua parte vivit in eis; Respondeant, inquam, eisne sacrificandum sit Dijs, vel Angelis, qui sibi sacrificari jubent, an illi uni, cui jubent hi, qui & sibi & istis prohibent. Si nec isti, nec illi, ulla miracula facerent, sed tantum præciperent, alij quidem, ut sibi sacrificaretur, alij vero id vetarent, sed uni tantum juberent DEO, satis deberet pietas ipsa discernere, quid horum de fastu superbiæ, quid de vera religione descenderet.* l. X. 16. de C. D. Primas igitur, & præcipuas partes obtinet scriptura, in qua aliquid scriptum est, e. g. non habebis coram me Deos alienos, & secundum hunc Lydium lapidem examinandæ

sunt apparitiones Angelorum, & alia miracula. *Cum* DEUS *id egerit ad commendanda eloquia veritatis suæ, ut per istos immortales nuncios, non sui fastum, sed majestatem illius prædicantes, faceret majora, certiora, clariora miracula, ne infirmis pijs illi, qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum quædam stupenda monstrarent; quem tandem ita desipere libeat, ut non vera eligat qua sectetur, ubi & ampliora invenit, qua miretur?* Idem ibidem disputat, innuens, miraculis illis credendum esse quibus subest vera doctrina, non iis quibus falsa subest. Addit in sequentibus: *Quædam etsi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra videt excellere. Illis enim multi tanto minus sacrificijs colendi sunt, quanto magis hæc expectunt: his vero unus commendatur DEUS, qui se nullis talibus indigere & scripturarum suarum testificatione, & eorundem postea sacrificiorum remotione demonstrat.* Res igitur tandem redit ad *scripturam*, ut ista sit ultimus Judex rerum credendarum vel faciendarum.

§. 12. Quod autem de *incantatore* dixit Origenes præbet (3.) argumentum, desumptum à *dæmone* & *Magis* Dicebant enim Patres, ejusmodi miracula etiam à dæmone & ejus instrumentis posse fieri. Diabolus per instrumenta sua potest miracula facere, ut fecit in Ægypto. Exod. VII. 8. Et per sagam Endoream, quæ personatum Samuelem repræsentavit. 1. Sam. XXVIII. 12. seqq. Cypriani judicio *Spiritus* (mali) *sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, falsa veris semper involvunt.* de van. Idol. p. m. 267. Diabolus enim suos habet ministros, per quos operatur. Matth. XXIV. 24. Marc. XIII. 22. 2. Thessal. II. 9. Apocal. XVI. 14. Tales etiam sunt Magi, Vates, & Pythones, per quos Diabolus locutus est. Confer Tertul. lib. de anim. c. 46. 47. Orig. lib. 2. adverf. Celf. Gerh. Conf. Cath. tom. II. p. 910.

§. 13. Imo, quod (4.) argumentum, nonnunquam nequidem aliquid ea sunt, sed meræ præstigiæ, atq, doli, qui aliquam quidem mirabilem speciem præ se ferunt, in rei autem veritate nihil in recessu habent, imo planè *fabulæ* sunt: ut erant traditiones de Protheo. Eusebius vocat μυθολογίαν, *figmenta*. adv. Hier. Augustinus ait, *pleraq;*

raque ſpecietenus mortalium ſenſus imaginaria ludiſicatione decipere, quale ſit lunam deponere, donec ſuppoſitas, ut ait Lucanus, propior deſpumet in herbas. lib. X. de C D. c. 16. *Hoc enim*, notat Ludov. Vives, *erat perſuaſum, illis magicis incantamentis detrahi cœlo Lunam*, ſicut ait Virgilius in Pharmaceutria :

Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam.

Idcirco nutrix illa apud Senecam in Hippolyto, cum Lunam veneratur, ad hunc loquitur modum.

Sic te lucidi vultus ferant.
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te gerentem frena nocturni atheris
Detrahere nunquam Theſſali cantus queant. &c.

Conf. Aug. l. XVIII. c. XVIII. Ubi agit de Phantaſticis ſomniis, & transmutationibus: Et Euſeb. lib. IV. de præp. Evang. poſt Origen. lib. II. adv. Celſ. p. m. 91.

§. 14. Eſto autem, quædam eſſe vera, aliud tamen in contrarium ſuppetit argumentum, nempe (5.) eſſe *naturalia* vel *artificialia* opera. Nota eſt magia naturalis, cujus beneficio multa fiunt, quæ vulgus ignorat, vel miratur. Argumento hoc u„titur Euſebius dicens, ea, quibus rudi plebeculæ imponitur, „circulatorum prodigia cum naturalibus cauſſis eſſe conjuncta. „Plurima enim univerſa in natura exiſtere, radicem herbarum, „plantarum, fructuum, lapidum, itemque aliarum ex omni „materia, ſive ſiccarum, ſive humidarum virtutum genera, „quorum aliæ propellendi & ejiciendi vim habeant, aliæ com„mittendi atque attrahendi, aliæ ſecernendi ac diſſipandi, aliæ „contra vel conſtipandi, vel ſiſtendi, itemque laxandi, hume„ctandi, rarefaciendi, rurſumque ſervandi aliæ, aliæ perimendi, „ac præſentem corporis ſtatum modo in hunc modo contrarium „penitus immutandi: atque aliorum efficacitatem longiori, alia„rum breviori ad plures, ad pauciores aliarum ſeſe diffundere, lib. IV. de præp. Evang. fol. 131. Confer lib. XIII. cap. 15. Talia fuerunt multa Apollonii Thyanæi, de quo Juſtinus, vel quiſquis „auctor eſt qq. & RR. ad Orthod. num. XXIV. Reſp. legen„dus eſt: Si quidem Apollonius, inquiens, ὡς ἀνὴρ ἐπιστή„μων τῶν φυσικῶν δυνάμεων καὶ τῶν ἐν ἀυταῖς συμπαθειῶν τε καὶ „ἀντιπαθειῶν, καὶ ταύτην τὴν ἐπιστήμην ἐς τελέσματα ἐποιεῖτο,

ut

„ut vir naturalium virium peritus, & rerum quæ in eis sunt tum „cognationis tum repugnantiæ sciens, ejusmodi scientia effe„ctus edidit, non divina id potestate fecit. Quam ob caussam „in effectibus omnibus opus illi fuit, τῆς τῶν ἐπιτηδείων ὑλῶν „παραλήψεως, congruentis materiæ assumptione, ad id quod „efficiebat complendum ipsum opera sua adjuvantis. Si igitur in virtute naturali ea quæri debent, & inveniri possunt, non est cur ad miracula confugiamus conferri potest. Ex vetustioribus Tertul. d. anim. cap. 44. Ex recentioribus B. Dn. D. Dannh. melet. d. mirac. pag. 19. & pag. 128. §. 24.

§. 15. Aut sunt (6.) meræ *conjecturæ*, cum *erroribus* commixta, si non plane errores, certè flexiloqua. Talia erant *vaticinia & oracula Ethnica.* Bene Cyprianus dixit, quod Gentilium prophetæ *vera falsis semper involvant.* Exempla hinc inde multa & varia exstant, ut oracula ista vel ambigue fuerint locuta, vel ex informatione ante accepta responsum formaverint, & præ sese nescio quam præscientiam tulerint. Cum Philippus Macedo de eventu belli Persici oraculum rogaret, illud respondit: ἑστεφάωται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύων. i. e. *Serta gerit taurus, finem manet, adstat aruspex:* Id quod nonnulli intelligebant de Rege Persarum, sed fors cecidit in Philippum, qui paulo post interfectus est. Ita Demosthenes, ubi mature & clam scivit, Philippum esse obtruncatum, palam dixit, somnium sibi esse revelatum, & in eo, quod Rex Philippus cecidisset, tanquam divinitus accepisset. Taceo defectum oraculorum, quem ipse Plutarchus peculiari libro fassus est. Jam vero veris & divinis oraculis & vaticiniis certitudo & eventus respondent in rebus etiam contingentibus, & alias incertis.

§. 16. Sunt (7.) ἄγραφα, *quæ nullum in S. literis habent fundamentum, ut miracula Christi & Apostolorum, quæ prius fuerunt dicta, quam patrarentur.* Utitur hoc argumento Irenæus lib. II. c. 58. quando Gentilium objectioni respondet, dicens: *Si & Dominum per phantasmata hujusmodi feciſſe dicunt, ad Prophetica reducentes eos, ex ipsis monstrabimus, sic à DEO & prædicta fuisse, & facta firmissime.* Quale quid vero de Ethnicorum miraculis dici & ostendi non potuit. Conf. D. Dannh. melet. §. 26. & 27. p. 138.

§. 17.

§. 17. Imo erant (8.) ἀντίγραφα, eo quod intenderent & foverent Idololatriam, à scripturis sacris vetitam. Quod vera miracula fiant eum in finem, ut confirment veram in DEUM fidem, & reliqua in scripturis contenta, paulo ante expeditum est. Jam vero Ethnicorum miracula id non intendunt, vel operantur, sed contrarium: quare talibus miraculis standum non est. Ipsa scriptura id præmonuit, quam allegat Tertullianus, de præs. c. 44. *quasi nec*, inquiens, *hoc scriptum sit* (Matth. XXIV. 24.) *venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.* In qua prædicatione fallaciæ etiam falsorum Deorum cultus continetur. Hunc vero intendebant illis miraculis: *Qualis vero Apollo, & quid sibi vult severe indicans Metapontinis, ut honorem, qualem cœlitibus, Aristeo habeant?* Interrogat Origenes lib. III. cont. Cels. p. m. 127. & pag. 128. *Apollo sic, ut Celsus scribit Metapontinis consulit,* ἐν θεῶν μοίρᾳ νέμειν τὸν Ἀρίστεαν, *ut Aristeum colant pro Deo: illi quibus persuasum erat, Aristeum hominem fuisse, ac fortasse non bonum, in re manifesta, noluerunt oraculo credere,* ὡς θεῦ ἢ θεῶν τιμῶν ἀξίυ, *quod is DEUS sit, aut dignus divinis honoribus: atque ita, contemptis jussis Apollinis, nemo Aristeum habet pro DEO,* utpote quod ea Idololatria esset. Confer dicta superius §. 11.

§. 18. Quare (9.) *negabant consequentiam*, quod nempe Ethnicorum Ecclesia sit vera: *Et prophetare, & dæmonia excludet, & virtutes magnas in terris facere, sublimis utique & admirabilis res est, non tamen regnum cœleste consequitur quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti & justi itineris observatione gradiatur*, ait Cyprianus d. unit. cap. 13. Et antecedens probat ex Matth. VII. 22. Et addit: *Præceptis ejus* (Christi,) *& monitis obtemperandum est.* Si vera Ecclesia esset, per cujus membra miracula perpetrantur, Ægyptiaca fuisset vera. Nam Magi vera miracula perpetraverunt: *Defendi quidem &c.* Ita Delrio disq. mag. l. 2. c. 6. apud Dannh. melet. pag. 63. Babylonica fuisset vera, quippe cui addictus erat Nebucadnezar, cujus tela miraculose denotabant gentem impugnandam. Ezech. c. XXI. vers. 21. ad quem locum vide quid annotet Jesuita Sanctius.

Jam vero Nebucadnezar veram religionem non habuit, utpote idololatricam, & ipse nonnunquam aliam meliorem, nempe Judaicam, agnovit. Sed quemadmodum valebat contra Hæreticos, ita & valet contra Ethnicos, quod à miraculis ad veram fidem consequentia nulla sit: *Observandum etiam, quod operari virtutes in his, qui non tenent Evangelij veritatem, sicut in illis, qui Dominum sequentes in nomine ejus signa faciebant: Joanne vero maxime consequente: Præceptor, vidimus quondam in nomine tuo ejicientem dæmonia & prohibuimus illum, qui non sequitur nobiscum*; Verba sunt Hieronymi, quæ respiciunt ad Marc. IX. 38. 39. Confer Actor. XIX. 14. seqq. & quæ habet auctor QQ. & RR. ad Orthod. n. 5. & ex nostris D. Gerh. in Confess. Cathol. lib. II. artic. 5. cap. 4. §. 1. seqq.

§. 19. Si quid veritatis suberat, id suffurati fuerant ex sacris literis, ita ut fuerint (10.) *plagia sacra.* Multi sunt in hoc argumento excolendo Patres, & ex ipsis Gentilium scriptis, quæ conferebant cum sacris, ostendebant, quod in hortos suos gentiles inde rivulos derivarint. Imprimis hoc agit Clemens Alexandrinus l. VI. strom. dū ex Mose & sacris scriptoribus aliis deprompserunt ipse & alii unum vel alterum miraculum, ut DEUS per scripturam hanc omnibus hominibus ansam voluerit suministrare, etiam per miracula, veræ suæ agnitionis amplectendæ, quod vero à dextra DEI manu oblatum siniſtra illi acceperunt. Retulimus supra aliquot ejusmodi Ethnica miracula, quibus imitari volebant divina gentiles, quæ vero fontem suum non poterant omnino dissimulare; *Justos quidem & curationes, & signa & miracula efficere, ἐκ τῶν ἡμετέρων πεπιστεύκασι γραφῶν, ex nostris credidere scripturis. Si enim aliquæ virtutes seu potestates movent ventos, & imbres distribuunt, audiant Psalmographum* (Psal. LXXXIV. 2.) *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Is est virtutum, & principatuum, & potestatum Dominus, de quo dicit Moses* (Deut. X. 16.) *ut cum eo simus, & circumcidite durum cor vestrum, & cervicem vestram non amplius indurabitis. Dominus enim Dominorum, & DEUS Deorum, DEUS magnus, & fortis, &c. Et Esaias* (XL. 26.) *tollite, inquit, in altum*

altum oculos vestros, & videte, quis hæc omnia fecerit? Ex quibus & similibus testimoniis Ethnici videre poterant, quis auctor sit miraculorum, vel mirandorum, cum naturalium, tum supernaturalium; quo posito deinde ulterius, quam par erat, progressi sunt.

§. 20. Ex dictis Patrum, & responsionibus præmissis videre est, quod adversus miracula, si quæ orthodoxis objiciuntur, liceat excipere, & ostendere, quod nuda ipsorum auctoritate standum non sit in rebus credendis & agendis, quandoquidem subesse possint, & interdum subsint, argumenta, quæ talem fidem & obsequium dissuadent, ut dissuadent vel patrantium mores, vel finis, quem intendunt, & effectus, quos producunt, & modi, quo fiunt, & status, in quo constituta sunt, & ipsæ scripturæ, quæ illa vel nesciunt, vel improbant, aut meliora & priora habent. Quare tutissimum est, in talibus verbo divino ante omnia niti, & tum demum credere miraculis, si cum isto illa conveniunt. Confer quæ habet Tertul. c. 44. de præscript. & t. II. opusc. tr. 1. d. conc. Cajetanus, B. virg. cap. 1. Cujus verba merentur adscribi: „Extraordinaria via, qua potest aliquid in fide decerni, esset, si miraculo, quod verè miraculum esset, DEus attestaretur „aliquid ad finem spectans; sed hic esset opus cautela magna, tum „ex parte operum mirorum, quoniam Angelus Satanæ transfert „se in Angelum lucis, & signa & prodigia &c. Vide reliqua Dannh. melet. pag. 87. usque 88. verba: *res fidei.* Cui jungatur Franciscus Toletus Jesuita pridem, deinde Cardinalis comm. ad Johan. III. „p. 240. Advertendum est, inquiens, DEum in Prophetis inter alia signa Christum advenientem agnoscendi, etiam *miracula* dedisse, quæ facturus erat, quæ declaravit Jes. XXXV. &c. Hoc ipso argumento Justinus Mart. in dialogo cum Tryphone utitur, ad probandum, Christum esse verum Messiam, quia nullus „Propheta simul fecit omnia quæ Christus. Hic unus ille aliud „fecit; at simul tot, ac talia; qualia prædicta sunt: Nemo opera ergo Christi & miracula, etiamsi in confirmationem, quod „Filius DEI & Christus erat, ea se facere non expressisset, ex „Prophetarum tamen dictis, quibus Judæi fidem, ut par erat, „habebant, satis superque probabant, ipsum esse Christum. Igi-

„ tur cum miracula Pontificia oraculis S. literarum non respon-
„ deant, sed ad dogmata tuenda fiant oraculis divinis contraria, ni-
„ hil probant.

§. 21. *Dicas* (1.) DEum tamen ipsum & ordinasse miracula ad conversionem hominum, & usurpasse ad eandem perficiendam, & succensuisse infidelibus, si qui ea admittere, & se convertere noluerunt. Exod. IV. 21. VII. 3. seq. Deuter. IV. 34. &c. (2.) Christum quoque miraculis fuisse illustrem, & illis suos auditores ad fidem pellicuisse, & convertisse, & confirmasse, & qui tale quid admittere nolebant, reprehendisse & damnasse. Matth. VIII. 27. IX. 8. 33. XI. 20 XII. 23. XIV. 11. &c. (3.) Eundem suos quoque Apostolos instruxisse potentia edendi miracula, & cum hac misisse in orbem terrarum, & doctrinam iisdem confirmasse. Matth. X. 1. Marc. XVI. 20. (4.) Istis rationibus quævis miracula posse eludi, imo negari.

§. 22. R. I. in *genere*; quod non sint quævis miracula admittenda, & credenda, DEus ipse docuit, Deut. XIII. 1. seq. quando vetuit ea miracula æstimare, quæ abducunt à vero DEI cultu & religione; Matth. XXIV. 24. magna quidem Antichristorum & Pseudo-Prophetarum miracula fore prædicit Christus, & tamen Antichristos, & Pseudo-Prophetas vocat eorum patratores. 2. Thess. II. 9. 10. Antichristo quoque miracula & ostenta tribuuntur, quæ tamen futura erant falsa, & fallacia. II. in *specie* ad (1.) miracula, divinitus perpetrata, erant ipsum quasi reale verbum DEI, quale vero non sunt cujusvis, sicut nec cujusvis est loqui verba conscientiam obligantia. Et talia argumenta comitem habebant quandam quasi vim mentium persuasivam, & penetrativam, cui non nisi προαίρεσις malitiosa poterat resistere. Exod. VII. 3. seqq. Præterea conjunctum habebant DEI verbum, vel ad illud deducebant, & ipsum confirmabant. Secus comparatum est cum miraculis, quæ contra DEI verbum sunt, sicut illud in scriptura sacra revelatum exstat. Exod. VIII. 19. Magi Ægyptiaci, non valentes producere vel pediculos, agnoscunt eum esse DEI digitum. Ad (2.) quod nec Christus quævis miracula probaverit, itidem ostensum est ex Matth. XXIV. Sicut nec idē probavit quamvis miraculorum petitionem

Matth.

Matth. XII. 39. Christi vero miraculis erat fides deferenda, quia erant prædicta, & insignia Messiæ, ipso DEI verbo prædicente. Matth. VIII. 17. cum Jes. LIII. 4. & singulari virtute prædita. Joh. X 21. (3.) Discipuli confirmabant DEI verbum signis: DEI ergo verbum erat, quod illi docebant, quare mirum non est, imo necessarium est, ut quis talibus miraculis crederet. Ad (4.) Non quævis miracula laborant istis defectibus, quare nec eludi aut negari jure possunt. Ipsi adversarii habent notas quasdam ex quibus confidunt se vera à falsis miraculis posse discernere. Sed de his & similibus rationibus forte in conflictu uberior dabitur occasio dicendi. Nos finimus, & damus gloriam DEO θαυματέργῳ.

ETHnica gens quondam multis miracula verbis
Jactavit, fidei ceu documenta suæ.
Sed fuit istius cœtus jactantia vana,
Utpote quæ vanæ religionis erat
Gens Christo sacrata suo meliora docebat
Dogmata, scripturis rite probata suis.
Quare subjicias scripto miracula verbo,
Ut contra Sathanam sit tua firma fides.

f.

Exercitii Præses.

Pereximio Dn. Respondenti,

SS. Theol. Stud. Amico & Faut. suo honoratiss.

QUæ quondam ediderant priscæ miracula gentes,
Essent ut cultus hæc monumenta sui,

Deci-

Decipulas potius Sathanæ, magè Dæmonis artes
Dixeris, incautis qui ſtruit uſque dolos.
Quæ contra veri, mortali imitandaque nulli,
Argumenta DEI ſint ſpecioſa, probas.
Theiologo egregius ſanè labor !apprecor auſis,
GÜNTZERE ; *è cœlo robur opemve Tuis.*

Feſtinante calamo gratulab. ſcr.

M. J. C. S.

MIra refers; num vera refers ex pectore verô?
Ipſe ego cum multis vera nec eſſe puto.
Vera tamen dicis, vanæ miracula gentis
Dum Te pro cathedrâ propoſuiſſe juvat.
Falſa refers, dum mira refers, ſed vera ſubinde
Addis, dum verè falſa fuiſſe probas.
Atque ita falſa licet de pectore dicere verô,
Lingua poteſt verô falſa referre ſonô.
Inde, quod eludis, quicquid miracula verum
Mentiri poſſunt, grator, Amice, Tibi.
Pectore de verô ſic pergas dicere falſum,
Ut verè falſum quilibet eſſe ſciat.

Joh. Benedictus Metzler, SS. Theol.
Stud. Annabergâ Miſnicus.

DIſcuſſis falſis, monſtras *miracula* vera,
Inque horum inquiris cauſas, dextréque piéq;.
Jactent qui cupiunt, quævis *miracula* facta,
Lydius inventus lapis eſt, quo quæq; probentur.
Applicat his ipſis, noſter, feliciter illum,
GÜNTZERUS; quem ſic merces laudesque manebunt.

Gratulabundus poſuit
J. F. Medler, S. J.

FINIS.